

Maximilianus Archidux, factus hunc admodum Caesariani exercitus Imperator, adjunctis sibi Sigismundi Principis Transylvaniae, & Christophori Baronis Teuffenbachij copiis, in eo totus erat, ut Christianis Agriæ obsessis auxilium ferret: verum continuis pluviis, atque inde itinerum difficultatibus impeditus, ad arcem jam ab hostibus occupatam, serò nimis pervenit. Mox ergo in conspectu Turcarum castris positus, quotidie leves fiunt excursiones, donec 21. Octobris res ad justum praelium protracta fuit. Christiani enim in Turcarum cuneos, qua confertissimi erant, irruentes, disiectis ordinibus, universam aciem perrumpunt; fugientibus machinas eripiunt: inde prædæ intenti relictis signis castra pervagantur. Cicala Mamaluccus, cum pabulabundos videret, recentibus copiis in eos illatus, prædâ graves sternit, fugat, cædit: atque ita pulcherrimam è Christianorum manibus victoriam extorquet. Multa millia utrinque in hoc conflictu ceciderunt, Turcarum tamen caesorum major fuit numerus. Non multò post etiam Nicolaus Palfyus Baro, arcem Ungariæ Tottam, portâ noctu tormèto Petartæ ruptâ & effractâ, sine ullâ suorum clade expugnavit, & præsidariis promiscuè trucidatis, recuperavit. Hæc ad Historiam: nummos Emblematis exornatos paucis attingo. *Pio more (sæpius dixi) fit à Principibus: ut præcipuum in periculis bellicis auxilium à Deo flagitent, expectent. Confissa eodem Aquila Romana telum ungibus librat: mox in Turcas, quorum exitium meditatur, idem contortura. Leo, quem in Nummo sequenti vides, Maximilianus est, qui (verbis hic potius Clarissimi Jacobi Typotij, quam meis utar) in captivitate etiam retinuit*



animum invictum, & missis, à quibus erat vocatus in regnum, attractus in carcerem, Turcis, quos non injuria fortes appellat animo Leonino sese objecit toties, majori virtutis, quam fortunæ gloriâ. *Ad characteris alterius explanationem partim illum Propertij versiculum assumes, licet:*

*Frangit & attollit vires in milite causa:
Quæ nisi iusta subest, excutit arma pudor.*

vel illa, modo à nobis laudati Typotij, verba. Myrticè Pallas frangit hostem, id est sapientia: cujus illa præfes est: temeritatem in dictis & factis tollit: & attol-